

442

440

446

436

Descriptio montis Gyon, et de domo mali consilii.

451

431

491

391

341

Ende

Anfang

Consequenter de agro Acheldama ascendimus montem Gyon cum magno labore. In ejus vertice ruinae magnorum murorum sunt, in quibus ruinis quaedam domicilia Sarracenorum sunt. Tempore David regis erat in illo monte castrum forte, ad regiam pertinens possessionem, et fuit directe ex opposito domus David, quae erat in acie montis Syon, ubi hodie est Conventus fratrum, et tam ibi quam alibi curias habuit se ipsas e regione respicientes, et familiam in utraque. David ergo, ut habetur 3. Reg. 1., jussit Salomonem in mulo regis duci in Gyon, et ibi omne robur exercitus eum sequebatur, et inunxerunt eum in regem super Israel, et clangebant tubis, et clamabant vocibus: vivat Rex. Hoc David audiens in Syon lectulo decumbens resedit, dicit Josephus, et Dominum adoravit; potest enim vox clangentis aut clamantis in Gyon audiri in Syon. Sed et Adonias, Joab, et reliqui in convivio sedentes juxta fontem Rogel, et juxta lapidem Soheleth, volentes Adoniam esse regem, voces tubarum in Gyon audiverunt, et perterriti intellecta veritate dispersi sunt ab invicem. Erant enim in pede montis Gyon, in valle umbrosa, sub valle Josaphat et Siloe, et ibi erant horti, sicut hodie sunt, et aqua, sicut adhuc fons est ibi, et lapis quidam magnus, quem juvenes levabant tentantes fortitudinem suam, quae dicebatur Sohelet, et erat locus amoenus, in quo praeparaverat Adonias convivium. Sed auditis vocibus supernis in monte: vivat rex, destructum fuit suum consilium, ut habetur ibi supra.

Domus Gyon tempore Christi erat pontificis et sacerdotum, et quando volebant aliqua secretissima tractare, transibant in eam, et fuit domus secretorum consiliorum. In hanc collegerunt pontifices et Pharisei consilium, dicentes: quid facimus? quia hic homo etc., ut habetur Joh. II. Conclusa ergo fuit in hoc loco mors Christi. In hac domo creditur, quod Judaei deliberaverunt se opponere Romanis Tito et Vespasiano; unde et Hierosolyma fuit destructa. Et forte in illa domo fuerunt Apostoli flagellati, ut habetur Actor. V., quia eadem flagellatio erat tantum coram consulibus, quia

